



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DUNCANUS FORBES, A. M.

EX AGRO ATHOLIENSI, SCOTUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

*Æqua lege,
Sortitur insignes et imos. HOR.*


EDINBURGI:


EXCUDEBAT D. WILLISON.

M DCCC.



VIRO EXIMIO
GULIELMO FORBES, DE PITSLIGO,
EQUITI BARONETTO,
BENEVOLENTIA,
MORUM SUAVITATE,
VITÆ INTEGRITATE,
PUBLICÆQUE UTILITATIS STUDIO,
INSIGNI ;
NEMINI QUIDEM SECUNDO :
PATRONO SUO,
NUNQUAM NON VENERANDO ;
OB BENIGNAM ERGA SE VOLUNTATEM,
HASCE QUALESUNCQUE PRIMITIAS SUORUM
IN RE MEDICA LABORUM,
SUMMO CUM STUDIO ATQUE OBSERVANTIA,
SACRAS
VULT
DUNCANUS FORBES.





C O R R I G E N D A .

- P. 2. l. 1.** *pro abjiciuntur, lege objiciuntur.*
.. 10. .. 13. *pro obetgunt, lege obtegunt.*
.. 30. .. 3. *pro quiescet, lege quiescit.*
.. 38. .. 21. *pro generi reactioni sanguifero, lege generis reactioni sanguiferi.*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

AUCTORE DUNCANO FORBES, A. M.

PROŒMIUM.

QUUM, more hujusce Academiae almae, summos in medicina honores privilegiaque ambientes, rem medicam aliquam tentare oporteat, pauca *DE VARIOLA*, animus est mihi disserere: attamen observare liceat, de Variola naturali solummodo, i. e. arte non inducta, tractatu sequenti, verba esse facienda.

A

Inter

Inter morbos omnes, quibus mortales abjiciuntur, Variola eminet. Nullus etenim, aut sævius grassari, aut stragem majorem dari, consuevit. Regiones populosque omnes, infestat; effectus horrendos in orbem terrarum totum diffundens, metumque summis & imis æquè incutiens. Ea, nec ultima Thule, nec Indorum Arabumve extremi, carent. Hanc pestem atrocissimam, nec vigor juvenilis, nec debilitas senilis, nec pulchritudo formaque virginea, tangunt. Misericordiæ prorsùs expers, gentem humanam, omni discrimine delectuque remoto, invadit.

DEFINITIO.

*Synocha contagiosa cum vomitu et ex epigastrio presso dolore: Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum pblegmonodearum, quæ spatio octo dierum in suppurationem et in crustas demum abeunt, sæpe cicatrices depressas, sive foveas, in cute relinquentes.**

Ortus.

Sub finem sexti, initiumve seculi septimi, via Asiæ minoris, Syriæ, Ægypti, Arabiæque,
Variola

* Vide Synop. Nosol. Meth. CULLENI, tom. ii. G. XXVI.

Variola in Hispaniam invecta fuerat ; unde belli, negotiique ope, in cæteras regiones Europæ, per contagium irrepsit. AARON *Alexandriæ* medicus, hunc morbum adeo mortalibus funestum, anno salutis nostræ DC.XXII, primum descripsit ; antiquis enim medicis, tum Græcis tum Romanis, prorsùs fuisse ignotum, hodiè nemini ferè dubium est.

Non alienum videtur, species variolæ diversas a scriptoribus medicis recensitas enumerare, antequam morbi historiam aggrediar. Exanthematum proximitate, prout plùs minùsve a se invicem distant, vel suppurationis modo, coloreque quem pustulæ referunt, medici variolam notant, distinguuntque. Variola, distincta seu discreta vocatur, ¹ quum pustulæ a se invicem remotæ sunt, seu intervallum cutis liberum, inter singulas evadit. Hanc speciem benignam quidam scriptores nuncupant, propterea quod gradus morbi sine symptomatibus gravioribus plerumque decurrit, vixque ac ne vix quidem medicinæ auxilium postulat. Veruntamen, distincta benignaque pro synonymis,

Species variolæ diversæ.

¹ Vide RHAZES.

nimis, me iudice, nequiquam habendæ sunt; nam in his verbis utendis, indoli morbi, ideoque prognosi, rationem præcipuè habemus; ac, ni fallor, species variolæ distincta in vitæ discrimen, ægros aliquando conjicit.

Cum, pustulæ hinc indè tantùm contiguæ sive paucae, passim in unam coeuntes, sive hoc jam in eruptione, sive in suppuratione demum contingat, variola, a quibusdam *coherens* nominatur. In *confluenti*, pustulæ confertissimæ conglomeratæque erumpunt, in eruptione sibi contiguæ sunt, ac dum maturescunt, in unam per plurimæ confluunt, pelliculamque latam, parum supra cutem elevatam referunt. Hanc speciem, symptomata semper sævissima, ægrisque mortem sæpius intentantia comitari solent, unde, etiam maligna vocatur. Observandum quoque, pustulas confluentes dici, si in facie tales se exhibent, etiamsi in partibus corporis reliquis distinctæ maneant.

Crystallinæ vel lymphaticæ, pustulæ vocantur, dum, in suppurationis stadio pellucidæ apparent, ac liquore aquoso tenuique implentur.

tur. Cum nullum liquidum pustulæ continent, aut post suppurationem, pure orbæ sunt vesiculasque rotundas referentes, supra cutem elevantur : HUXAMUS aliique scriptores variolam siliquosam nominaverunt ².

Cum malè maturescunt, materiaque crassa iis inest, ac, veluti varices supra cutem eminentes, durescunt, pustulæ varicosæ dicuntur. Pustulis speciei discretæ solis, hæc forma, ni fallor, propria est. Cruenta appellatur Variola, quum pustulæ colorem purpureum referunt; quum suppurationem subire negant, ichoreque nigro, refertæ manent ³. Denique, et confluens et discreta, irregularium nomen sibi consciscunt, quum nec eruptionis nec suppurationis ordinem sibi proprium sequuntur.

De speciebus, vel potius, de variolæ varietatibus, quas auctores enumeraverunt, nunc verborum satis est. Pagine igitur sequentibus,
speciebus

² MEAD de Var. cap. ii.; HUX. p. 147.; FREIND op. om. epist. de quib. Var. gener. p. 358.

³ Purpureæ violaceæ RHAZIS. MEAD de Variol.

speciebus discretæ confluentique, secundum specierum harum definitiones, a CULLENO nostro, facile principe Nosologorum, datas, rationem præcipuè habebimus.

SPECIERUM DEFINITIONES.

1. *Variola (discreta) pustulis paucis discretis, circumscriptione circularibus, turgidis; febre eruptione facta, protinus cessante* *.

2. *Variola (confluens) pustulis numerosis, circumscriptione irregularibus, flaccidis parum elevatis; febre post eruptionem perstante* *.

HISTORIA MORBI.

Historiæ
tradendæ
ratio.

Variola naturalis, in discretam ac confluentem, plerumque distingui solet; ac in historia morbi tradenda, ut symptomata cujuscunque speciei, seorsùm enumeremus, forsitan oportet; at, ne hoc quidem, hujusce disputationis limites permittunt. Ambarum specierum definitiones jamjam dedimus, ac insuper notandum est, symptomata

* * Vide CULLENI Gen. Morb. xxvi.

symptomata multa esse, quæ interdum tum discretæ, tum confluenti promiscuè contingunt.

Ad symptomata recensenda, nunc pergere volumus, quæ, quoniam et innumera, et pro morbi temporibus variis, diversa sunt, paulò accuratiùs dilucidiùsque enumeranda veniunt. In his igitur tradendis, divisionem morbi in quatuor gradus notam sequi, phænomenaque, 1. Febris ante eruptionem; 2. Variolæ eruptionis; 3. Suppurationis; 4. Declinationis morbi, exarescentiæve pustularum, exponere lubet, nec non juvabit.

In gradus
divisio mor-
bi.

FEBRIS ANTE ERUPTIONEM.

Labes variolosa, ut primùm in corpus recepta, febrem rarissimè excitat; symptomata sequentia febrem aliquando prægredi observantur: Languor; lassitudo; debilitas; levis capitis dorsique dolor; anorexia; quorum quædam, interdum omnia adsunt, posteaque insequuntur³.

Phænomena
contagii
in corpus
recepti.

Rigor;

³ TRALLES de meth. medendi Variolis, &c. p. 21. 50.
HOFFMAN.

Symptomata febris ante eruptionem.

Rigor; tremores; oppressio anxietasque; nausea et vomitus; doloris capitis dorsique incrementum; prostratio virium summa; pulsus frequens; æstus ingens; inquietudo, corporisque jactatio; respiratio crebra; oculorum splendor, illachrymatio, interdum rubor; dolor faucium necnon intumescencia; vox rauca; vertigo; alvus plerumque adstricta.

Symptomata anomalia.

Illa symptomata plerumque adsunt: aliquandò tamen animi deliquium; vigilia; diarrhæa; hæmorrhagia; hæmoptysis; mictus cruentus; necnon dysuria, ischuriaque superveniunt.

Infantes, plerumque somnolentia; narium pruritus sternutatioque; interdum, eruptione ingruente, convulsiones epilepticæ, invadunt: in adultis verò, in sudorem proclivitas; sæpe dolor erraticus vel pleuritici instar, vel huc illicque per corpus vagans.

Febris eruptiva, sæpe vespere accedit; cum exacerbatione omni vesperi perstat; nec rarò tam placidè invadit, ut æger vix febricitare videatur.

deatur. Hic gradus, duos, tres, quatuor, vel etiam quinque dies, pro morbi varietate vique constat, ac exanthematum eruptione plerumque terminatur.

ERUPTIO.

Secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, immo septimo die ⁴, variolæ, parvæ, rubræ, magnitudine numeroque diversæ, morsibus pulicum haud absimiles, erumpunt. Primo in facie colloque; dein in brachiis; denique in femoribus pedibusque, observantur. Attamen in extremitatibus inferioribus, sæpius non ante secundum tertiumve diem, post eruptionem primam in conspectum veniunt.

Variola, si distincta sit, quarto plerumque die, vel quinto, rariùs verò tertio, erumpit, quo tempore, nausea vomitusque cessant, febreque post finem eruptionis decrescente, omnia sæpe tranquillè, progrediuntur, non aliter ac, si laborans sanitate integra, frueretur. In ad-

B

ultis

⁴ HOFF. HUXAM. p. 127.

ultis verò, in sudorem proclivitas per totum eruptionis gradum, manet.

In confluenti, verum enim vero, omnia accessus eruptionisque symptomata graviora, fiunt. In hac specie, eruptio ferè secundo tertiove febris die, evadit. SYDENHAMUS autem noster, pustulas interdum non ante diem quartum, nempe ob aggressionem doloris cujusdam vehementis, vomitusve, erumpere dicit. Pustulae verò creberrimæ, in facie maxime, apparent, semper insigniter cohærent; aliquandò verò erysipelatis instar, agmine denso conglomeratoque cutem, obtegunt. Pustulae confluentes, usque ad diem octavum, laminæ albidæ speciem, referunt, tumoremque vultus insignem, efficiunt. Vel sub eruptione ipsa, vel sub stadio primo insequenti, ptyalismus ferè semper adultos, vexat. Infantibus, diarrhæa insuper additur. In hac specie, febris eruptiva est valde pertinax; aut ne eruptioni quidem, cedit, aut remissionem tantum, patitur. Quod ad hunc gradum pertinet, urinam eruptionis tempore, plus minusve subsidentia, habere, necnon eruptionem ipsam per biduum triduumve
continuare,

continuatione, insuper observandum est. Eruptione peracta variolaque in inflammationem transeunte, gradus morbi tertii sequitur, scilicet,

VARIOLÆ SUPPURATIO.

Eruptione exanthematum finita, in specie discreta, febris prægressæ symptomata, vel prorsùs abeunt, vel saltem multò minuuntur. Aliquandò citiùs, aliquandò verò seriùs, sed die plerumque octavo, ab impetu morbi primo, gradus tertius multis novisque phænomenis stipatus, manifestè incursare observatur. Partes cutis variolæ expertes, tumere, rubescere, splendescere, dolere, incipiunt; necnon pustulæ ipsæ, accuminari, prominere, suppurationem subireque, primùm in facie, postea eodem modo, quo erupuerunt. Vultus ergò primum tumescere incipit, palpebræ turgent, oculosque plùs minùsve, operiunt. Palpebrarum margines, materia serosa viscidaque, oblinuntur. Fauces tument, magisque dolent. Deglutitio cum dolore, et vix aut ne vix quidem, perficitur; os saliva scatet, quæ verun-

tamen mensibus æstivis, sæpe parciùs secernitur. Confluenti laborantibus, ptyalismus ille ferè semper adest; necnon ægrotos discreta, interdùm affligit. Patiens frequenter mingit, eoque modo urina ptyalismi vicem sæpe præstat. Pustulæ, ichore primùm tenui, mox spissiore, tandem in pus flavum mutato, turgescunt, dieque undecimo, ad apicem summum evectæ sunt. Suppuratio nunc perfecta; at nondum in partibus corporis omnibus, evadit. Variolæ, enim in manibus pedibusque crudiores adhuc, extant; nam tardiùs quam in facie maturescunt, plenamque maturationem, biduo triduoque posteriùs, attingunt.

Contrarium vero, præcipuè in confluenti, haud rarò evadit, omniaque tardissimè pergunt. Pustulæ vix ac ne vix quidem replentur; natura, viribus suis vel exhaustis vel suppressis, ad suppurationem febremque movendas impar, existit; donec illa, viribus tandem resumptis, victrix suppurationis negotium, absolvit.

In apicibus pustularum suppurationem subeuntium, puncta nigra nonnunquam observantur; pustulæ tunc subito, subsident; depressæ, flaccidæque, evadunt; maculæ in interstitiis purpureæ, lividæque, oriuntur; vesiculæ aquosæ; gangrenæ; ptyalismi suppressio subita, vultusque detumescencia; urinæ retentio, quæ præcipuè die undecimo, evenit.

Phenomena
anomalìa.

Quod ad infantes quidem attinet, diarrhæa ptyalismi vicem, præstare solet.

Ingruente pustularum suppuratione, febris synocha nova, synochæ plurium phlegmasiarum simillima, plerumque nascitur. Quod si mala indole morbus sit, febrì primariæ eruptivæ, ne crisi perfecta quidem solutæ, phlegmasia universalis haud rarò accedit. Hanc autem febrem, gradum morbi suppuratorium semper invadere, nequaquam affirmo. Aliquandò enim pustulæ perpaucae suppurationem fubeunt, spatiumque suum tam placidè decurrunt, ut symptomata pyrexiae nulla, percipi possint; aliquandò etiam, ubi corpora robusta, variola violenter incursat, pro numero pustularum,

pustularum, praesertim in facie plùs minùsve saevit.

Febris sup-
puratoriae
symptoma-
ta.

Verumenimvero, pulsus frequens; oculorum rubor; calor ingens; sitis; dolor molestissimus, lancinans; inquietudo summa; corporis jactatio; respiratio crebra, permolesta; tussis, febrem suppuratoriam comitantur. Quinetiam, in hoc morbi stadio, ubi pustulae evadunt numerosas, tum in specie confluenti, tum in discreta, deglutitio respiratioque adeò difficiles sunt, ut metus suffocationis ingens, imminet: aliquandò verò delirium; coma; vigiliae; convulsiones; diarrhaea; haemorrhagia; dejectiones sanguinolentae; haemoptysis; mic-tus cruentus, superveniunt.

Nox suppurationem plenam praecedens, gravis existit, symptomataque pyrexiae omnia, permultùm increscunt.

Hoc morbi tempore, a forma pustularum, coloreque puris quem prae se fert, nomina varia, scilicet, crystalina, siliquosa, varicosa, variola sortitur,

Si

Si variola distincta, bonaeque indolis sit, de pustularum suppuratione formaque, haec observare liceat. Circulo rubente, primùm circumdantur; accuminantur; supra cutem prominent; magnitudine augere; ichore tenui impleri incipiunt; mox colore flavo sese induunt; ichore in pus flavum sensim mutato, magis magisque turgescunt, donec magnitudinem summam adeptae, probè flavescunt, perfectèque suppurant.

Sin confluentes sint pustulae, non tam altè supra cutem, elevantur; in vultu praecipuè coeunt, vesiculamque latam, primùm rubram, dein pure tenui repletam, constituunt. In manibus pedibusque, pustulas illis in caeteris corporis partibus, majores esse, quoque trunco proprioeres sunt, eo minores esse, SYDENHAMUS notavit. In extremitatibus pustulae seriùs illis faciei, suppurantur, necnon per plurimis in exemplis, distinctae eminent.

In morbo tam lubrico, diem quo hic gradus incipit, quove absolvitur, constituere perdifficile est; aliquandò enim sexto, septimo; aliquandò
verò,

verò, non ante decimum quartum, aggreditur. Nec minus admodum incerta est duratio ejus; nam postquam pustulae, suppurare inchoaverunt, per sex, octo, decem, duodecim, pluresve dies, aut flaccidae, aut tenui ichore semiple-nae, perstare, subitoque unius nychthemerae spatio, benè suppurare possint⁵. Attamen pustularum suppuratio, tribus quatuorve diebus plerumque perficitur.

MORBI DECLINATIO.

Pustulis ad *ακμην* summam jam evectis, perfectèque suppuratis, (quod ut supra observavimus diversis in corporibus seriùs ociùsve evenit) status morbi supremus, longèque periculosissimus, jacentem, post tot tantaque discrimina, saepius ex improvise jugulans, sequitur. Pustulae, in facie primùm corrugare, arescereque incipiunt, ardor, dolorque imminuuntur; vultus pedetentim detumescit; quo detumescente, pari passu ptyalismus decrescit, donec omninò cessat, manus ac brachia, magis magisque, intumescunt. In variola confluenti, periculum

⁵ MORTON, p. 63.

culum strangulationis summum, saepiùs adest ; hujusce gradus die secundo, tertiove pustulae in extremitatibus perfectè suppurant, exarescere incipiuntque. Dum vero pustulae exarescunt, ac in crustas mutantur, pruritus molestissimus, praesertim in facie, excitant, et postquam exarefactae sunt, in cute quà sedem habuerant, rubedinem foveasque, relinquunt.

In limine hujusce gradus ipso, vultus nonnunquam praematurè, subitoque, prorsùs detumescit, tumore nullo in manibus subsequente ; repentina ptyalismi, urinaeque suppressio sequitur ; pustulae flaccescunt ; petechiae, vesiculaeque aquosae, in interstitiis pustularum, apparent ; gangrena ; diarrhaea ; dejectiones alvi sanguinolentae nigraeque, cum tumore abdominis, oriuntur.

Pustulis exarescentibus, febris altera, a febre eruptiva suppuratoriaque, prorsùs distincta, nec non a morbo varioloso planè diversa, a SYDENHAMO nostro primùm descripta, saepiùs invadit. Pulsus frequens, celer ; aestus magnus ; inquietudo summa ; sitis ; lingua arida ; respi-

Febris secundaria, ejusque symptomata.

ratio difficillima ; tussis, inter hujus febris symptomata, enumerare licet ; necnon delirium ; subsultus tendinum ; coma ; pneumonia ; pleuritis, quae secundum HOFFMAN die nono aut undecimo plurimos, jugulant, saepè accedunt. Huic feбри exacerbatio est vesperi, ac si illi faustus exitus sit, aut alvi dejectione, aut urina crassiore, decedit.

Exsiccatio.

De pustularum exsiccatione, pauca verba nunc facienda sunt. In specie discreta, pustulae quamprimùm corrugantur ; crusta flava obducuntur ; postque unum alterumve diem, arescunt, rubedinem levem in cute relinquentes, nec foveas tam saepè quam in specie altera, excavantes, sensim decidunt. Sin autem varicellae sit confluens, pustulae, post maturationem, supra cutem parum elevatae, in crustam latam, nigram, tenaciter adhaerentem, difficillimèque decidentem, degenerant. Squamulae furfuraceae, quae deciduae renascuntur, crustam hanc insequuntur. Pustulae confluentes, pruritus molestissimum, creant, foveasque altiores quam distinctae, excavant, rubedoque necnon diutiùs durat.

Hujusce

Hujusce gradus duratio, est admodum incerta, diversisque aegris, pro malignitate morbi diversa, discrepat. Quatriduo, plerumque absolvitur; interdum vero per dies complures, constat.

Morbi alii, scilicet ophthalmia; caecitas; articulo-
 rum tumores; in diversis corporis parti-
 bus abscessus; parotides; phthisis pulmonalis;
 tabes; manuum pedumque contractura; dysen-
 teria, &c. saepius ex variola oriuntur. Sae-
 pius etiam, munere medici felicissime fungitur,
 aliosque morbos inveteratos, scilicet glandula-
 rum schirrositates, modo nulla arte imitabili,
 sanat.

Post vario-
 lam pathe-
 mata.

DIAGNOSIS.

Historia morbi, hoc modo tradita, ut pauca, de Diagnosi disseramus, oportet. Hic duo maximè agenda nobis: Indicia, ex quibus morbum imminere praesagimus, quibusque praesentiam ejus, colligere possumus, evolvenda sunt. Gradui variolae, qui febrem eruptivam complectitur, symptomata propria sunt, quibus

stipatur. Haec partim, in definitionibus, partim, in historia hujusce gradus tradenda, jam-jam recensuimus. Ex symptomatis igitur supra dictis, aegros nondum variola defunctos, invadentibus, cum constitutione epidemica variolosa, collatisque, praecipuè, cum contagium ex consuetudine morbo laborantium, suspectum habeamus, variolam imminentem praesagire possumus. Convulsiones in pueris, variolae adhuc expertibus, supervenientes, signum morbi instantis certissimum, SYDENHAMUS notavit; at, ni fallor, hic symptoma tantum valet, quum eas nec ex dentitione, nec ex vermibus oriri, medicus compertum habet.

Quod ad variolam praesentem dignoscendam, quidem attinet, breviter observare licet, eam a morbillis, coryzae oculorumque affectionum, absentia, initio facile distinguere; quin etiam, a plerisque aliorum exanthematum, eruptione formaque papularum. Variolam confluentem, speciem erysipelatis ad eruptionem interdum exhibere, CL. SYDENHAMUS observavit; dolore autem epigastrii, defectuque delirii, ab hoc facile dignosci potest. At non opus

pus est, cur de hac re, fusiùs dissererem ; nam symptomata cuilibet gradui propria, me iudice, sunt signa tutissima, quibus et praesentiam, et morbi gradum, necnon speciem ejus dignoscere valemus. Haec, autem phaenomena accuratiùs, supra exposui, causa igitur morbum continens, nunc invenienda est.

CAUSA.

De causa hujusce morbi proxima, non omninò disputandum est ; causam verò variolae remotam, a veneno speciali ad corpus admoto, pendere, inter omnes convenit. Hujusce viri natura latet ; vis autem notissima. Quin sit labes subtilissima, nemo dubitat ; nihilominùs, aut arctiùs conveniri, aut effusiùs dispergi, certissimè potest. Vis concentratioque ejus, effectu, pendi possunt ; quod ad formam modificationemque ejus, quidem attinet, in caligine alta versamur.

Priscis temporibus, nonnulli, immo, plerique medici, hoc venenum corpori congenitum, exque catameniae immunditiae in utero retentae,

Veterum sententia, contagium variolosum esse innatum.

ortum

ortum esse, crediderunt, quae vasis foetus recepta, sanguine involuta, innocuaque latens, diutiùs durans, tandèm acrior facta, aliisque ex causis, nimirùm aëris diathesi certa, affectibus animi, sicuti terrore, imaginatione, vigiliis, motu nimio, crapula, perspiratione impedita, in motum fermentatum sui multiplicativum, acta, febrem accenderet, ope cujus e corpore expellitur.

Sedes labis.

In succo quodam seroso-lymphatico, impuro a matre derivato, tubulisque in medullae spinalis impacto, haerente, donec mora indolem perniciosam, contraxerit, propter convulsiones, doloremque & capitis, & dorsi, quibus variola, primo impetu, stipatur, HOFFMAN hoc venenum latere credidit ⁹. Alii, in aliis partibus, ut in glandulis supra renales, variolae labem, posuere. Sententia eorum, qui contagium variolosum congenitum esse, arguunt, morbi frequentia sola, ni fallor, innititur. Hunc morbum, semel in vita, ferè omnes, aut citiùs aut seriùs, corripere liquet; hunc morbum, ferè omnes grassantem, a causa etiam universali, nempè

⁹ Oper. tom. II. sect. 1. cap. vii. sect. 4, & 5. p. 50.

nempè ex catameniae immunditie oportere oriri, arbitrabantur.

Venenum autem variolosum, nec ab hoc fonte, nec a causa quavis innata, deduci posse, ex eo patet, quod, variola ipsa a nemine ante Mahomedis epocham, descripta existit; ideoque eam, per secula priora, mortalibus prorsus ignotam fuisse, satis, ni fallor, constat. Post Mahomedis tempora, integrae gentes, insuper fuere, qui, causis illis fictis quidem obnoxiae; at consuetudine nulla cum infectis habita, per secula, variola expertes, vixerunt. Postquam vero, in has morbus irrepsit, deinceps epidemicus, evadit, variolam igitur, nec a catameniae immunditie, nec a causa congenita ortam esse, ni fallor, liquet. Neque in Arabia ipsa, hoc malum ex quacunque causa externa ortum, dum Romanum imperium vigeat, ante Mahomedis tempus, grassari potuit; nequaquam enim morbum adeò contagiosum; phaenomenis constantibus adeò stipatum; suae naturae, indolisque, adeò tenacem; tantasque in genus humanum strages edentem, et historici et medici silentio penitus praeteriissent.

A causa innata labes oriri nequit.

Originem

Labis variolosae origo incerta.

Originem hujusce contagii primam, in aëta caligine, adhuc obvolutam esse, facile igitur agnoscimus; neque lectoribus, incertas conjecturas, gratis obtrudendo, argumentaque, non nisi inanes verborum ambages, prae se ferentia, in medium producendo, eorum patientia abutendi, nobis animus est.

Forma sub qua contagium se exhibet.

Labes variolosa, forma vel puris fluidi, vel exsiccati existit; vel in aëre oculorum aciem fugiens, volitat. Contagium puriforme corpori applicatum, morbum certiùs inducit, quàm contagium aëreum, seu quod aëre innatat. Veneni variolosi insitio, in corporibus, quae antea consortium cum morbo laborantibus, impune habuerant, hoc, ni fallor, docet; insitione facta, perpaucos infectionis expertes, evadere, usu etiam satis constat. Pus variolosum ad morbum producendum, effluviis aptius est, non quod haec natura minus activa sunt; at eò, quod, quamprimum in aëra transeunt, citissimè dissipantur, viresque suas, amittunt. Hinc effectus contagii celerior, ex causa praedisponente, non semper pendet, licet haec interdum valeat; at corporis conditio; aegri indolis;

dolis ; viresque effluviolorum variae, partes primarias sibi, vindicant. Nec, quum inter infectos versans, aliquis contagio immunis, evadit, absentiae praedispositionis, at potiùs, ni fallor, viribus labis imminutis, attribuendum est.

Duplici vero modo, aëre, scilicet, corporibusque spongiosis, labes haec propagatur.

Modus quo
contagium
vulgatur.

Effluvia variolosa, aut, aëre immixta, respirationeque recepta, aut, contactu materiae ipsius, corpori applicatae, morbum inducunt.

Modus quo
corpori labes
ingeritur.

Effluvia quaedam, contagiosa venenosaque, e variola suppurante, exarescenteque, emittuntur; quae in aëre volitantia, homines variola nondum defunctos, aëraque hunc inquinatum inspirantes, inficere valent, quod creberrimè contingit, dum aliquis morbo adhuc immunis, in cubiculum variola jacentis, ingreditur. Quamvis labes variolosa, aëra cubiculi, inquinare valeat, haec, tamen, aliaque effluvia morbosa, vi ad morbos excitandos satis praedita, a domo infecta ad loca dissita, per aëra solùm, hinc in-

Aëre.

de deferri nequeunt. Quum enim aliquis infectus urbem ingressus, omnem cum sanis consuetudinem evitat, ne morbus quidem diffunditur. Sin vero effluvia variolosa, per aëra latè longèque diffusa, deque loco in locum delata, vires suas retinent, nihil obstaret, quominùs ventis acta, per orbem terrarum grassarentur, eodemque, saltemve brevi tempore, integras regiones urbesque, inficerent.

Quae, quoniam ita sunt, haud ineptè hic quaeri posset, num effluvia contagiosa, ex diffusionem eorum per aëra sola, vires amittant? Me iudice, non semper, at interdum a viribus suis extinctis, dum in aëre chemicè solvuntur. In aëre, enim, sicco, effluviis putridis solutis, odor admodum levis, percipitur; in aëre, vero, humiditate jamjam saturato, effluvia solvi nequeunt, ideòque odorem foetidissimum longè latèque, spargunt, licèt materia putrida, coluviesve ipsa, pluviae neququam exposita esset. In aliis, etiam, aliquod non dissimile, contingere videtur: dum enim tempestate sicca, imbres ingruunt, aëre humiditate copiosiore nunc repleto, moleculisque aqueis saturato, nec ad effluvia

fluvia solvenda satis valente, sentinae magis olere observantur. Flores, suos odores gratissimos post imbrem, vel ipso jam ingruente, longiùs latiùsque diffundere, saepiùs observavimus.

Labes variolosa, aliaque effluvia contagiosa, per aëra, longè diffusa, ob solutionem in hunc, vires forsàn non retinent. Labem variolosam, tempestatibus humidis, aëra aliquandò latiùs inquinavisse, hominesque, quibus consortium cum variolosis, nullum fuit affecisse, quidam auctores animadverterunt ⁷ : annon hoc phaenomenon, aëri humiditate jamjàm imbuto, ideòque effluviolorum solutionem recusanti, attribuendum sit? Morbos epidemicos ab aëre, effluviis putridis inquinato, ortos, tempestatibus humidis, caloreque insequente, medici latiùs dominari observaverunt ⁸ ; causa hujusce phaenomeni eo modo explicare vellem ; materiam putridam in motum calor ciet ; effluvia tamen, in aëre humiditate jam saturato, solvi nequeunt,

D 2

ideòque

HOFFMAN. HUXAM.

⁸ PRINGLE, Diseases of the Army.

ideòque vires suas diutiùs retinent, pluresque inficiunt.

Verumenimvero, quocunque demum modo, sive diffusione per aëra sola, sive etiam in eo solutione, labes variolosa vires suas, amittat, nihil refert, quoniam, illas vires ad loca longo intervallo disjuncta, ne propagare quidem posse, satis usu constat. Huic igitur hypothese, licèt ad veritatem forsàn accedenti, pertinaciùs insistere nollem; quippè, quae in praxi parum utilitatis, me iudice, habet. De hac re verbis Ciceronis igitur uti lubet: *hoc sum contentus, quod etiamsi quo quodque fiat ignorem, quod fiat intelligo*⁹. Labem variolosam, vi idonea ad morbum diffundendum, praeditam, aëris solius ope, in loca remota haud transferri posse, ni fallor, satis constat; nonnullas tamen aëris constitutiones, prae aliis, contagii diffusioni magis favere, animadvertendum est; aliis etiam anni tempestatibus, venenum variolosum in corpora crebriùs, faciliùsque; aliis vero, rariùs difficiliùsque, agit. Hoc etiam contagium, in loco quodam obortum, protinùs latè saevire; hominesque

⁹ Cic. de Divin. lib. 1. cap. 9.

minesque aliis in aedibus commorantes, corripere, quibus cum variola laborantibus, consuetudo nulla fuit; alio vero subito cohiberi, aut constitutione coeli mutata, aut alia anni tempestate accedente, saepius observavimus.

Quod, ad hujusce contagii diffusionem, quidem attinet, quaedam tempora anni, magis quam alia, labis variolosae viribus ejusque evolutioni, me judice, favent. Morbus enim noster, verno tempore, plerumque incedere; aestate, magis latiusque dominari; autumno, hieme, rarissime grassari, ni fallor, observatur. De hac re, si recte moneam, variolae procreationem calore, promoveri frigore impediri, verisimillimum est.

Anni tempestates, in quibus variola maxime grassatur.

Hunc autem labis progressum, eundem ordinem non semper sequi, at pro coeli varietate, discrepare, in mente probe tenendum est. Namque aere pro diversa ejus constitutione, eadem anni tempestate, plus minusve vitiato; natura loci etiamque diversa; necnon consortio cum aegrotis plus minusve frequente, morbus latius, dominatur diutiusque, protrahitur.

Labes

Corporibus
spongiosis.

Labes variolosa, nunquam penitus deletur, ne quum epidemicè grassari quidem desinet, omnino quiescet ; at sub cinere gliscens, tempestatibus etiam sibi maximè adversis, hùc illùcque strages edere pergit. Materies etiam purulenta, contagiosaque ex pustulis suppuratis, in aegrorum indusia, stragula, aliave, se insinuat, in his, latet, viresque retinens ab aedibus infestis, ad vicinas, immo ad regiones remotas, deferri potest ^{1°} ; ac in corpora hominum, inspiratione contactuve morbum de novo, producit.

Causâ probandi, effluvia variolosa, corporibus spongiosis latentia, suas vires diù conservare, argumento sequenti uti licet. Illos, qui linteolis ad chartam conficiendam legendis, victum quaeritant, citiùs quam alios, variolam contrahere, inter omnes liquet. Quum itaque antea vidimus, effluvia contagiosa, per aëra volitantia, vi sua morbosa retenta, non longiùs transferri posse, hic praecipuus creberrimusque modus, veneni disseminandi esse videtur ; hacque via, contagium è natali solo, in Euro-
pam

^{1°} MEAD de Variolis,

pam fortassis primùm illatum fuit. Quamquam variola, et omnibus et singulis, cujuscunque aetatis, sexus aut sortis, inimica esse videtur, ac

———*aequo pulsat pede pauperum tabernas*

Regumque turre;

nam quacunq̄ue terrarum, vis morbi incessit, vitam totam variola immunem, perpauca quidem ducunt; attamen infantes puerosque huic malo prae caeteris obnoxios esse, experientia nos docet.

Quod ad juniores, in hunc morbum, procliviores, quidem attinet, de causa hujusce phaenomeni, ita forsitàn ratiocinandum est. Principium in infantibus vitale, mobiliùs, agiliùs, sensiliùsque, ab effluviis applicatis, etiamsi debilioribus, in motus abnormes protinùs abripitur; dum in adultis, fibrae jam robustiores, ideòque, stimulis ejusmodi minùs affectae; aut saltem ad quasvis impressiones augendas, non pronae extiterunt. Hìnc, inter infantes vario- lam grassantem saepiùs videmus; dum adulti, consortio cum iis habito, intacti nihilominùs vivunt. Ob hanc quoque rationem, in e-

jus

jus aphorismis, CL. BOERHAVIUS morbis infantum, variolam subjunxit.

Tristitia ingens ; morbi terror ; timor ; aliaque mentis pathemata, actioni contagii variolosi in corpus humanum, magnopere favere videntur ¹¹ ; omnesque corporis conditiones, quae alias ad febres excitandas, faciunt, infectione semel communicata, accessionem febris variolae, accelerant.

RATIO SYMPTOMATUM.

Sequitur pars hujusce tentaminis, qua de ratione symptomatum, nobis inquirendum est. Ad hunc laborem nosmetipsos aegrè accingimus ; propterea quod, ad penetralia naturae intima adire, non penes nos est, hoc etiam aevo illuminatissimo, quo vivere gloriamur. Maluissem igitur, de hac re penitus tacere, nisi timuissem, ne hoc mihi vitio lectores verterent. Paucà igitur, de symptomatum praecipuorum causis, quae, me judice, maximè valent ; quaeque, a scientiae peritioribus allatae fuerunt, disserere pergam.

Febris

¹¹ WILL. de Febr. p. 118. MORT. de Var. p. 69.

Febris, quae contagio varioloso in corpus humanum recepto, prima oritur, increfcit, viget, decrefcitque. Quibus veruntamen modis, morbum femper adeò sibi constantem, adeòque a caeteris distinctum, haec labes excitare valeat, explicatu admodum difficile est. De re tam abdita, ex conjectura tantum loqui possumus, sententiam igitur, quam multi amplecti sunt, exponere fufficiat.

Symptoma-
ta variolae
perpetua.

Labem variolosam acri ftimulo, vique fui multiplicativa, praeditam esse, tumque solidum vivum, ftimulando, tum humores, fermenti inftar, in ejus indolem venenosam, convertendo, morbum in corpora nofta inducere, Arabes multique recentiores crediderunt. Potestatem affimulandi venenum variolosum penes esse, inftitione, fatis conftat. Hujusce contagii molem perexiguam vulnere receptam, plùs millies sese multiplicare obfervamus. Hocce venenum in corpus receptum, medici quadam specie fermentationis, augere putaverunt, ope cujus, partem humorum in naturam suam convertit; fi enim hi rectè moneant, nullum alium modum, adhuc compertum habemus,

E

ope

ope cujus, unum corpus, in alius indolem, transmutari convertive potest.

Gradus
primi se-
cundique
sympto-
mata.

Febri variolosae eruptivae, aliisque febribus, symptomata permulta promiscuè adsunt. Sunt et alia, quae, a natura labis propria tantum deducenda, videntur; quaeque inter diagnostica, jamjà recensita fuerunt. Inter haec dolorem lumborum, capitisque; necnon salivationem, materiaeque morbosae in cutem ejectionem, enumerare licet. Viro varioloso, vis propria, quasdam partes corporis prae aliis afficiendi, ni fallor, inest; aut saltem, quaedam corporis partes, sensibiliores evadunt, stimuloque hoc validiùs, ac quasi proprio modo afficiuntur; dum partes aliae vi eadem vix indè moventur.

Causâ sententiae nostrae de hac re corroborandae, argumentum ex analogia, adducere possumus. Vim quandam singularem, in glandulas salivales impetum humorum dirigendi, hydrargyro, item ad renes fluida derivandi, cantharidibus esse, omnibus medicis liquet. Sunt et medicamenta alia, venenaque innumerabilia, quae vires proprias sibi vindicant, partesque
singulares

singulares petunt. Horum omnium effectus in aprico est, causa quidem quod ad nos latet, explicent eam, quibus ex luto meliore,

Finxit praecordia Titan.

Nausea, febris eruptivae comes assidua, aestuantemque ad eruptionem usque lacessens, deindè suae spontis evanescens, ab eadem causa, me iudice, pendet. A sordibus in ventriculo haerentibus, ne semper quidem deduci potest; tametsi, his aliquandò permultùm exacerbetur; at potiùs, a labe ventriculum primo impetu morbi, vel directè, vel per consensum, ingratè, quasque vi propria, afficiente. Veneno autem a sanguine separato, ac in cutem ejecto, nausea vomitusque, vel statim silent, vel placantur, nec minùs emetico, quam ante eruptionis tempus, sine eo, tolluntur.

Convulsiones epilepticae, non solùm ob copiam veneni variolosi, in sanguine, ingentem, aut indolem morbi malignam; at potiùs, ob corporis constitutionem, ineunte aetate, valdè teneram sensibilemque, nec minùs irritabilem;

ideòque ad hos motus irregulares, a stimulo applicato, proeliviores, ni fallor, superveniunt. Hinc causa patet, cur infantes, eosque corporis constitutionis mollioris, haec symptomata gravissima, maximè lacescere solent. Hasque convulsiones epilepticas, ni scriptores medici hallucinantur, speciem variolae benignam, plerùmque indicare observandum est.

Mictus, aliquandò suppressus, cruentus. Lues variolosa, acrimonia sua propria, vasis renalibus spasmum, inducit, unde vasa secretoria in renibus coarctata, transitum urinae negant; vel impetu, causa stricturae sublevandae, facto, tubuli uriniferi nimis dilati, sanguinem unacum urina transmittunt; vel sanguis, quod ad gluten quidem pertinet, dissolutus, per vias secretorias, effluit.

Eruptio. Cur materia variolosa cutem semper petat, cur per canales alios, sicuti alvum renesve, qui aliàs educunt non copia idonea, defluat, caligine alta adhuc obruitur, nisi naturae hujusce viri propriae, hanc partem afficientis, effectum tribuere velimus. Eruptionem

vero

vero in cute semel factam, legibus certis, spatium suum decurrere scimus; hujusce normae causam in textura sensibilitateque cutis, diversis in locis diversa, prout distantia partis a corde majore vel minore, forsitàn inveniemus. Cute faciei tenuiore, necnon sensiliore, exanthemata faciliùs erumpunt, insupèr cor vasis rectis brevioribusque, sanguinem ad faciem magna vi, projicit, ideòque in hac parte, plerumque eruptio primùm apparet; cutis vero artuum densior, constrictiorque, fortiùs renitens eruptionem, retardat, utique cùm ob distantiam a corde majorem, sanguis ad has partes tardiùs propellitur.

Febris suppuratoria, ab inflammatione doloreque omninò oritur, ideòque quò, pustulae numerosiores, erumpunt, eò, certiùs citiùsque febris invadit, magisque saevit, quippe quae, prout vi stimuli, plùs minùsve exacerbatur.

Gradus tertii symptomata.

Quod ad *salivationem* quidem attinet, annon natura reliquias veneni variolosi, in sanguine adhuc haerentis, perque eruptionem, è corporis vasis nondum penitus ejecti, glandulasque salivales,

salivales, prae caeteris partibus, ac quasi stimulo, afficientis hoc modo opus expellendi, praestat ?

Diarrhaea loco ptyalismì in infantibus. Rationem cur adulti, variola confluenti, ac nonnunquam discreta laborantes, ptyalismo; infantes vero diarrhaea, corripiuntur, modo sequenti exponere lubet. Adulti salivam in os influentem, expuunt; infantes vero inopes, quidque agunt, nescii; necnon quorum glandulae salivales, a lue variolosa aequè forsitan, afficiuntur, salivam more suo deglutiunt; quae tum copia, tum acrimonia propria, motu intestinorum peristaltico festinato, diarrhaeam inducit; nec me poenitet eorum sententiae esse, qui hoc phaenomenon determinationi materiae ad intestina infantum peculiari, attribuere volunt; alvi etiam profluvium, junioribus quam adultis magis naturale esse, omnibus liquet.

Cutis tumorem, ruborem, calorem, doloremque, generi reactioni sanguifero, tensioni, attrituique, indè oriundis, attribuere volumus.

Spirandi

Spirandi difficultas, ab inflammatione vel tumore faucium, oritur; vel a pustulis has partes afficientibus, nares etiam invadentibus, necnon ita obturantibus, ut liber transitus ad pulmones aëri, denegetur, ac nonnisi ore aperto, summaque cum molestia, laboreque, aeger aut inspirare aut expirare possit. Partes internas a pustulis unquam obsideri, sunt qui negant; in trutina tamen altera, experientiam MEADII, BOERHAVII; utique J. HUNTER nuper defuncti, pendere licet. Ab hoc Anatomico peritissimo, se in cadavere, illo malo perempto, fauces, tracheam, œsophagumque, pustulis copiosissimis obsessas invenisse, certiores facti sumus.

Gutturis dolor, ex inflammatione tonsillarum, sive a pustulis has partes obsidentibus, sive a saliva acri ibi accumulata, praecipuè nasci videtur. Deglutitio difficilis causas easdem, ni fallor, quoque agnoscit.

Vultu detumescenti, manus intumescunt. In eorum sententiam, qui hoc phaenomenon metastasi materiae morbificae in has partes, attribuant,

Gradus morbi quarti symptomatica.

buunt, non facilè discedam, propterea quod, eruptione suppurationeque in extremitatibus pustularum, ni fallor, pendet. Ordine eodem quo, erumpunt, pustulae inflammare ac suppurare observantur; ideòque, ut in omni inflammatione tumor adest, sic etiam facies tumet, suppuratione peracta subsidetque. In extremitatibus autem pustulae seriùs erumpunt, suppurationeque in facie jamjam absoluta, demum suppurare incipiunt. Inflammatione igitur et suppuratione in extremitatibus pollenti, harum partium tumor tunc crescit.

Metus suffocationis, qui in variola confluenti, diem circitè decimum aut undecimum saepiùs, ingruit, mucò viscido glandulis faucium tenacissimè adhaerenti, aegrèque abstergendo, nec non tumori partium jam ad summum elevato, ni fallor, attribuendus est.

Febri secundariae dictae, puris in sanguinem resorptio ex totius corporis superficie, copiosissimè facta, causae remotae est procùl dubio. Usu origineque vasorum lymphaticorum jam clarè patefactis, inventum quod ad artem medicinae

dicinae amplificandum maximè pertinet, quodque Academia nostra, jure sibi vindicant; quod etiam, aequè ac circulatio HARVEIANA, statutam aeneam mereretur, quin pus per vasa illa resorbeatur, nemo est qui dubitat, per vasa sanguifera oberrans, et nervis et sanguini stimulo intolerabili est, ideòque saepiùs lethale, evadit.

PROGNOSIS.

His de ratione symptomatum propositis, sequitur, ut in hoc morbo proprias notas, explicem, quae vel spem vel periculum, ostendant. Si unquam in morbo ullo, prognosis sit obscura, in variola non difficultate minima, sanè premitur. Artis medicinae peritissimi hic gradum sistere, nihilque determinare malunt, quam iter in tenebris praetentare, ob mutationes varias, quas morbus saepiùs improvisò subiit. Symptomata enim et mitiora, et graviora, tum promiscua, tumque diversa, habitus multiformis quem, induunt; constitutio aegri varia, aliaeque conditiones permultae, quae in hoc morbo commutando, levando, necnon augen-

F do,

do, quamplurimùm faciunt, tot tantaeque sunt, ut vix ac ne vix quidem, aliquod certi praesagire possimus. Experientiam clinicam solam tutissimamque normam esse, qua exitum hujusce morbi rectè praedicere possumus, satis constat; ast quod ad hanc experientiam quidem attinet, me, judicio nondùm usu multum exercitato, tironem esse, facilè fateor, ideòque, in variolae prognosi tradenda, observationibus aliorum uti, adnotationesque auctorum, de hoc morbo enumerare sufficiat. Quaedam in universum primùm notemus.

Prognosis
in univer-
sum.

Variola, quò citiùs in hieme apparet, eò violentior; quò seriùs, eò mitior, evadere observatur. Cum summo aestatis calore, morbus se manifestat, periculosior est; cum vero tempore vernali, salubrior, mitiorque, ni auctores falluntur¹². In feminis infantibusque, benigniùs ac tutiùs, quam aut in viris aut in adultis, cursum suum absolvere, SYDENHAMUS aliique auctores notaverunt¹³. Corpora dura, robusta,

¹² BOERHAYE. MORTON, p. 79.

¹³ SYDENHAM, p. 356. LIEUTAUD, *Precis de la Med.* p. 608.

busta, diathesisque phlogisticae, variola severiùs afficit ; corporibus autem phthisi ; lue venerea ; scorbuto laborantibus, aut vigiliis nimis ; venere ; crapulisve exhaustis, variolam exitio citiùs inferre, aliqui antiquiores observaverunt ; at nescio, an experientia recentiorum, hanc prognosin re ipsa, confirmet ¹⁴. Sunt etiam quaedam symptomata graviora, quae molimina naturae ostendunt, nec eventum infaustum semper praesagiunt.

Sed et gradus morbi diversi, qui de prognosi, tum bona tum mala phaenomena varia, suppeditant, nunc considerandi veniunt. Quò brevior contagii status ; quòque graviora symptomata, quibus stipatur, eò, stadiis sequentibus, symptomata pejora expectanda sunt ¹⁵ ; haemoptysis, micrusque cruentus, in aegrum hoc tempore ingruentes, certam mortem ei denunciant ¹⁶.

Gradus primus.

Quò lentiùs pustulae erumpunt, nisi, ob virium prostrationem, hoc contingat, quòque, ma-

Secundus.

F 2

gis

¹⁴ MORTON, p. 78, 79.

¹⁵ RIVER. p. 550.

¹⁶ SYDENHAM, p. 160.

gìs in ordine naturali, eò benigniores ; quò maturiùs vero, impetuosius, inaequaliusque, peiores evadunt ¹⁷. Quò pauciores, magisque praesertim in facie discretæ, eò leniores ; quò plures, magisque in facie confertæ (facillimè enim confluunt) etiamsi partibus in corporis alijs pauciores forent, eò contrà, graviores existunt ¹⁸.

Pustulae nares, fauces, aliasque partes interiores obturantes, ob dolorem summum perpetuumque in deglutitione, necnon in respiratione impedimentum, periculi multò pleniores sunt, quam in cute externa, etiamsi scateant ; hinc improvisò morte saepiùs interimunt ¹⁹. Si post eruptionem, pyrexiae symptomata aut remittant, aut cessent, faustum ; sin vero increscant, aut persistent, infaustum exitum praesagunt ²⁰. Eruptione facta, si convulsiones sequuntur, inter symptomata pessima jure habenda sunt ²¹.

Pustulae

¹⁷ BOERH. Aph. 1398.¹⁸ SYDEN. p. 355.¹⁹ HUX. p. 141.²⁰ MEAD de Variol. cap. iii. p. 38.²¹ LIEUTAUD, p. 608.

Pustulae primùm rubrae, dein albae, denique flavae, molles, discretæ, fastigiataeque, pus- Gradus
Tertius.
maturum, miteque continentes; cum spatio inter singulas, tenso, dolente, rubente, coloreque rosas Damascenas aemulante, bonae haberi possunt ²²; at duræ, depressæ, ichore tenui plenæ, cum interstitiis expallescensibus, maculisve variis, malè augurantur ²³. Ptyalismus subito suppressus; spirandi difficultas; delirium; mictus cruentus; alvi cum torminibus dejectiones; faeces, urina foetidae, nigraeque; sudor colliquativus, periculum summum ²⁴, ni fallor, mortem praedicant. Tumor artuum faciei que, in stadio suppurationis expectandus, si non planè apparet, aut justo citiùs evanescit, procul dubio aegrotanti periculum minitatur ²⁵.

Intumescencia manuum, facie interim detumescenti, fausti; contrarium vero mali ominis, habendum est ²⁶. Gradu morbi ultimo, ingruente, detumescencia vultus subita; ptyalismi Gradus
quartus.
sup-

²² SYDEN. p. 134. ²³ LIEUTAUD. ²⁴ Idem.

²⁵ JUNCK. Conspect. Pract. p. 624.

²⁶ HUX. p. 154. DE HAEN Rat. Medend. t. 1. p. 79.

suppressio ; pustularum flacciditas ; interstitia pallida, livida, necnon gangraenosa, symptomata mortifera habeantur ²⁷. Febris maligna jam superveniens, praecursor mortis plerumque existit. Metastases ad partes internas periculo non carent, rarissimèque medelam admittunt ²⁸.

RATIO MEDENDI.

Cognitis indiciis, quae vel nos spe consolentur, vel metu terreant, ad curationem nostri morbi transeundum est.

GRADUS PRIMUS.

Indicationes duae, in hoc gradu, ni fallor, praesertim dantur. I. Febris moderanda est, ut legitima maturaque crisis sequatur. Hinc,

I. *Febris nimis saeviens reprimenda est.* Arabes, qui hunc morbum primum descripserunt, in ejus sanatione, regimen antiphlogisticum, adhibuerunt. Haec autem curatio, mox
ex

²⁷ Hux. p. 145.

²⁸ LIEUTAUD, p. 609.

ex usu penitè desiiit; medicique in ejus locum, remedia calidissima supposuerunt. SYDENHAMUS excellentissimus, regimen hoc calidius in variola morbisque aliis oppugnando, artem medicam excoluit, et in meliùs mutavit.

Febrem eruptivam, frigoris plena adhibitione, utique libero aëris per cubiculum circulo, corpusque modicè tegendo, minuendam esse, inter medicos omnes, nunc convenit. Corpus, vigente febre, ob reactionem generis sanguiferi auctam, calet; aestuansque, vim aëris refrigeratorem avidissimè optat. At si aër non renovetur, et ipse incalescit, ideòque ad calorem, a reactione generis aucta ortum minuendum, parùm valet, hinc respirationem difficiliorem reddit, jacentique perniciosus evadit. Renovatio igitur aëris, rationi tempestatis anni semper accommodata, ad reactionem generis moderandam, maximè confert, aegros refocillat, necnon molestias plurimas, aut praecavet, aut tollit.

Hinc causa patet, cur hujusce morbi aegrotans, vel sub pleno Jove, vel in cubiculo amplo
amaenoque,

amaenoque, maneret. Dum febris nimia urget, si causâ illius compescendae, debitosque intra limites continendae, onere stragulorum ingenti, quisquis aestuantem, obrueret, aequè hallucinaretur, ac si in aëre calido eum, suffocasset. Stragula nimia, vim aëris refrigeratorem a corpore calente, arcent, necnon calorem augent, sudoresque profusos semper evitandos, malaque pendentia indè inducunt ²⁹. Insomnia, delirium; mictus suppressus vel cruentus ³⁰; maculae purpureae; eruptio praematura; aliaque confluentia symptomata, ab his oriri observantur. Noctu igitur, stragulis paucioribus consuetis, jacens utatur.

In aegris junioribus, temperamentoque sanguineo praeditis, eruptione regimine calidiore, cardiacisque impedita, perturbataque, pustulas infra cutem latere, nec, quibuscunque cardiacis demum sollicitarentur, sese ultra ostendere; at sanguine ad motum moderatum debitumque redacto, parteque stragulorum, quibus aeger torrebatur, dempta, pustulas statim apparuisse, aegrumque

²⁹ Celeb. GREGORII Praelect. de Med. Pract.

³⁰ MEAD de Var. cap. iii. SYDENH. p. 150. 167. 359.

aëgrumque in tutum collocatum esse. SYDENHAMUS se saepiùs vidisse testatur ³¹. Quum haec symptomata graviora, variolamque confluentem ex stragulis congestis, aërisque calore, SYDENHAMUS saepiùs nasci observasset, non ante diem morbi quantum, potestatem lecti in-eundi, aegro fecit, eum in cubiculo aut ambulanti, aut sedenti, detinuit, hocque robustioribus tempore aestatis maximè injunxit. Verum enim vero, si ob aegritudinis vehementiam, vel anni tempus frigidius, necessitas decumbendi aegro, adesset, lectum stragulis tenuioribus componi, aëraque conclavis, modico igne accenso, temperari jussit, ne patiens ex frigore quid detrimenti, caperet. Quanti vero referat, ut spatium hujusce stadii febris, moderatè placidèque decurrat, omnibus ex eo facile patet, quod ex ejus tenore pendet, num symptomata morbi futura leviora, num graviora, evadant. Praeterea observandum est, medico aequè curae esse oportere, et febrem eruptivam gradu debito conservare, et ab omnibus cavere, quaecunque eam ritè decurrentem, aut intendant, aut perturbent.

G

Ad

³¹ Idem, p. 149.

Ad regimen antiphlogisticum pertinet, hoc morbi gradu, potum tenuem, acidulumque adhibere. Aqua frigida, diluentiaque refrigerantia, acidis vegetabilibus gratè reddita, liberè sunt admissa. Serum lactis purificato tartaro factum, est et potus frigidus, et laxans, ideòque hoc morbi stadio, praescriptum perutile. Ratio quarè, diluentia liquidaque acidula, febris vim nimiam refringat, quippè quae in vulgus nota, recensione non eget, ideòque de ea hic fusiùs disserere nolo.

Inter praescripta antiphlogistica, ductio alvi lenis ritè habetur. Hoc morbi gradu, si alvus vel constipata, vel a scybalis durioribus clausa, tutò, utilitèrque, purganda sit. Hoc, laxantibus lenissimis quàm fortioribus, meliùs peragitur. Verumènimvero, enemata, emollientia refrigerantiaque, quae corpore nullo modo concusso, lenitèr alvum subducunt, faecesque eluunt, omnibus purgationibus, me iudice, anteferenda sunt. Carthartica fortiora minimè adhibenda, quippè quae, tametsi alvum depleant, scybalaque dura, eliciant, febrem exacerbant,

alvum

alvum saepiùs evacuant, aegrumque debilitant.

Causâ regiminis antiphlogistici absolvendi, sanguis, incisa vena, nonnunquam detrahendus est. Quotiescunque enim, febris eruptiva corpus robustum vegetumque, invadit, pulsuque duro, frequenti & forti; calore magno; siti ingenti; oculorum rubore; respiratione celeri, difficili; delirioque stipatur, venaesectio apprimè necessaria statimque adhibenda est. Ut enim in febribus aliis, symptomatîs iisdem comitatis, sic et hic, vis pyrexiae compescendae, sanguinis detractio remedium potestissimum, existit. Quô magis febrem eruptivam furere, eô diutiùs post eruptionem manere, majoremque vim pustularum erumpere, (ut in confluenti liquet), ac dein stadiis in caeteris, aegrum magis periclitari, usu satîs compertum habemus; è contrario, quô mitiùs, febrem eruptivam cursum suum percurrere, quôque magis, intra limites debitos contineri, eô mitiorem evadere, experientia nos aequè docet.

Quoniam igitur, feбри vehementi, nullo modo meliùs, succurritur, quotiescunque animus febrem eruptivam mitiorem reddendi, medico inest, ut venam pertundat, oportet; alioquin in corporibus, vel robustis, vel vino assuetis, nimis saevire, praematuramque eruptionem inducere possit. Arabes sanguinis detractionem acriter instituerunt, ac in adultis, ad animi deliquium mitti jusserunt. Hinc forsitan ratio patet, quare febris illa maligna, variolae confluenti nunc saepiùs superveniens, quam RHAZES, de hujusce morbi historia curationeque, tam dilucidè disserens, ne memorasse quidem videtur, tunc temporis variola aegrotantes rariùs affligebat.

Commoda magna, quae in hoc morbo, aëris e vi refrigeratoria, oriuntur, adhibitionem aquae frigidae externam, indicare videntur. Vim refrigeratoriam aquae majorem, quam aëri esse, omnibus liquet, ideòque in speciebus variolae malignis, aqua frigida externè, exitu fausto adhiberi possit. Ex usu Doctoris CURRIE de Liverpool, aquam frigidam variola laborantibus, eventu felicissimo affundi, nunc omnibus

omnibus patet. Ille medicus eruditissimus, expertissimusque, febre variolae eruptiva planè distincta, aërisque frigidi adhibitione non satùs decrescente, affusionem aquae frigidae, tutè feliciterque praescripsit. Veruntamen *ex aegri calore, sensuque ejus quoad calorem*, hanc affusionem moderatam fuisse, observandum est. In specie variolae confluenti, eruptione perfecta, Doctor CURRIE affusionem aquae frigidae contraindicatam esse censet. Quotiescunque, febre eruptiva perstante, se aquae frigidae affusionem adhibuisse, symptomata statim mitiora evasisse, morbumque se typo benigniore, induisse, a D. CURRIE certiores facti sumus¹³.

2. *Febris eruptiva segnior excitanda, necnon depressa, instauranda est.* Quanquam regimen antiphlogisticum plurimum valet, sanationi hujusce morbi optimèque convenit, ubi corpora robusta vegetaque, invadit, diatheseque corporis phlogistica, stipatur; attamen hujusce regiminis effectus, haud secùs ac effectus aliorum remediorum, a corporis conditionibus, sub quibus adhibeatur, sanè pendent; hinc pro corporis

¹³ Essays on the effects of cold water, &c. p. 50.—55.

poris statûs ratione, remediorum effectus discrepant. Medicus itaque, qui nulla ratione aut corporis aegri, aut morbi indolis habita, regimini antiphlogistico pertinacitèr insisteret, me judice, quoad rem medicam rudem ineptumque, sese ostenderet.

Etenim, in variola aliquandò contingit, ut loco regiminis antiphlogistici, aegro prorsùs nocituri, ratione medendi alia, planèque contraria, opus sit. Namque diathesin phlogisticam, morbo ingruente, nec semper in corpore esse, nec febrem eruptivam semper synocham aemulari, observandum est; at in corporibus debilibus, languidis, morbique terrore percitis, ni fallor, generis sanguiferi reactionem, potiùs torpere observamus. His vero est vultus pallidus, depressus; languor; debilitasque summa; pulsus parvus, debilis, et frequens; calor multum imminutus; sitis aut minima, aut nulla; urina tenuis, cruda, necnon aquosa; febris per dies septem octove protracta, tandèmque in eruptionem pustularum ferè confluentium, difficultèrque suppurantium, desinens.

Febre hoc typo sese induente, HUXAMUS venae pertusionem, aegrotantibus mortem accelerare, observat³². SYDENHAMUS et ipse, qui ab usu cardiacorum promiscuo, valdè abhorruit, his commodè adhibitis locum lubenter dedit; variolaeque curandae indicationes statuens, ne eruptio motu nimis languido, retardetur, sedulò praecavet. Febre igitur nimis lenta, ubi vires ad crisin perficiendam impares, videantur, causâ eruptionis promovendae, remedia, quae naturae suppetias, ferunt, vires, erigunt, torporemque, excutiunt, modicè, ni fallor, adhibenda sunt. Ad hanc finem assequendam, medicamenta cardiaca dicta, praescribi debent, é quibus vinum aqua dilutum, jure laudatur, igiturque in usum imprimis vocari debet. Necnon stimulantia aliquandò adhibere licet; attamen, ne quid nimis, hic probè cavendum est, namque remedia illa, pro casûs ratione tantum praescribenda sunt.

3. *Febris typum justum conservans, ad crisin sustinenda est.* Cum febris eruptiva nec languet, nec nimis urget, at limites intra debitos, sese

³² HUXAM, p. 141.

sese cohibet, ac crisin felicem maturamque, promittit, nil medico restare videtur, nisi, quod hunc tenorem desideratissimum aequabilemque, sustineat, ab omnibus sedulo cavendo, quae vel febrem intendere, vel minuere valeant. Cardiacis igitur, aequè, ac omnibus aliis remediis, omissis, medicus aëra frigidum, potumque dilutum aegro, concedat, et si opus sit, purgatione miti, enemateve emolliente, alvum eluat. Quod ad caeteras res quidem pertinet, omnia naturae committantur, quae ut SYDENHAMUS bene observat, “ sibi permissa, tempore suo, negotium “ exequitur, materiamque via ac ordine debito, “ tum secernit, tum expellit, ut nostra ope, “ nostris artificiis auxiliisque non indigeat, suis “ viribus optimè instructa; suis opibus locuples; suo denique ingenio satis edocta.”

Si, in hac ratiocinatione, mens rectè moneat, illos hallucinare, satis constat, qui in hoc morbo, aut regimen antiphlogisticum aut methodum medendi calidiorem, semper adhibendam esse, arguunt, unumque alterumve quorum, quaecunque sit facies rerum, nulla ratione habita, utrum diathesis phlogistica, an contraria

contraria adsit; utrum febris ritè vigeat, necne, constantèr, semperque præscribunt, viam eandem quasi perpetuò calcantes, haud memores, quod remedia nostrae artis præstantissima, intempestivè adhibita, noceant. In hoc morbi tempore, error hujusmodi, stadiis sequentibus exitio aegro esset, aut alea vitae necisque, qua vivit, aut moritur, jaceretur.

II. In indicatione hujusce gradûs secundi; *symptomata urgentia mitiganda sunt.* Symptomata graviora, quae aut aegri vitae aut patientiae, ingruunt, utique sunt,

Nausea vomitusque. Haud leves inter medicos lites agitantur, an in febre variolae eruptiva, medicamenta vomitoria prosint, an noceant; utrum emeticorum usus admitti, an rejici debeat? CL. BOERHAVIUS, a SYDENHAMO, cujus de hoc morbo indicationes pleno ore, laudat, in usu emeticorum, dissentire videtur: nullam enim harum mentionem, in hujusce morbi curatione, facit. In febre variolae eruptiva, DE HAEN emetica contraindicata esse putavit. Quoniam nausea vomitusque, febri

variolae eruptivae semper adhaerentes, necnon usque ad eruptionem manentes, non a sordibus, sed a labe variolosa, ventriculo quasi stimulo afficiente, saepiùs oriuntur, emetica, in febre variolosa, contraindicata esse videntur. Deinde concussu inter vomendum violento, magnoque, sanguis impetu copiaque majore, ad vasa cerebri tenerrima, derivatur, ac illas nimis distendendo, denique disrumpendo, delirium vel apoplexiam, vel phrenitidem gravissimam, inducit, quae in robustis plethoricisque, maxime timenda sunt: hinc emetica aegros variola in periculum adducere videntur.

Nihilominùs emetica, me judice, aliquandò indicantur. Cum sordes in ventriculo congestae, nauseam vomitumque, augeant (quod procul dubio interdum accidit) emetica cautè adhibita, pro aegro, ni fallor, faciunt. Sordes, diarrhaeam facilè inducunt, majoresque perturbationes aegro, intendunt, quam vomitus prudentè adhibitus, qui nauseam anxietatemque, ex magna parte, tollit. Quinetiam CL. HUXAMUS, ad eruptionem in corporibus debilibus promovendam, papulis infra cutem latentibus,

tibus, nec commodè ritèque prorumpentibus, emetica multum laudat³³. His rebus facilè patet, quamvis causâ ad vomitum propensionis frequentis compescendae, emetica non adhibenda sunt; in quibusdam attamen casibus, scilicet, cum sordes in ventriculo haerentes suspectas habeamus, in usum vocari possint³⁴. Mala autem, quae in corporibus robustis plethoricisque, motus vomendi violentes aliter sequerentur, secundum monita SYDENHAMI, HUXAMIQUE, sanguinis detractioe praeveniendae sunt.

Gutturis dolor. Partes deglutitioni inservientibus inflammatas esse, pustularumque eruptionem illis impendere, hac affectione satis constat. Causâ hujusce symptomatis periculosi tollendi, medici vesicatoria nuchae, pone aures, vel sub maxilla inferiore applicata, adhibuerunt³⁵.

H 2

Urinae

³³ Hux. p. 144.

³⁴ Vomitus vomitu curatur, si unâ cum vomitu eluitur illud quod vomitum facit. HIPPOCR. de locis in hom. cap. xv. MEAD de Var. cap. iii. MORT. p. 96.

³⁵ Hux. p. 140, 141.

Urinae suppressio. Causa hujusce symptomaticis avertendi, SYDENHAMUS jacentem e lecto surgere jussit, remedium, quod omnibus diureticis, anteposuit. Quum attamen metus frigoris contrahendi ritè adsit; quumque vel eruptione imminente, vel suppuratione fervente, jacens in lecto relinquendo, periculum subeat, hoc symptoma, enematis diureticisque, meliùs tutiùsque, ni fallor, oppugnatur.

Mictus cruentus. Hoc symptomate graviore perstante, Tinct. Ros. acid. Vitriol. potu mistum, vel serum lactis aluminosum adhibere licet.

Convulsioncs epilepticae. Ad hos motus clonicos compescendos, medicamenta antispasmodica dicta; in adultis, etiam venaesectio ritè adhibenda sunt. His autem omnibus, pediluvium, me judice, anteponendum est; propterea quod ad hos motus irregulares suppressendos, id prae remediis aliis valere, experientia medicorum solertissimorum discimus. At non solum, causâ motus epilepticos placandi, sed et etiam, symptomata gravissima, molestissimaque, delirium,

delirium, &c. aut mitigandi, aut tollendi, febrisque vim cohibendi, pediluvia, ni medici falluntur, adhibenda sunt.

Pediluvia, cutem relaxando, emolliendoque papularum eruptioni insuper favere, medici sibi persuasum habent. Pediluvia ad alium effectum praestandum valere, scilicet ad numerum pustularum in facie diminuendum, HUXAMUS nos certiores facit ³⁶. Hujusce indicationis ratio forsitan apparebit, si pediluviorum effectus, cum illis in papularum eruptione occurrentibus, ritè comparemus. Quò tenuior cutis est, quòque celerior per vasa minima sanguis fluit, ut in facie, pustulae numerosius, citiusque erumpere, observantur; quò autem renixus, a cutis crassitudine major est; quò etiam sanguis lentius propellitur, papulae tardiùs, rariùsque eminent.

Balneum cutem emollet, relaxatque, hinc dum pedes in balneo immerguntur, cutis vasae cutanea eorum, mollescunt, renixuque hoc modo ablato, sanguis in his partibus, copia impetuque

³⁶ HUXAM, p. 137.

impetuque majore fluit, eruptioque faciliùs evadit. Quò frequentius aegrum pediluviiis uti, eò pustulas in pedibus numerosiores fieri, HUXAMUS dudùm etiam notavit ³⁷. Hinc renixum vasorum cutaneorum minuendo, labisque ejectionem in cutem faciliorem reddendo, pediluvia eruptionem promovent. A partibus internis capiteque, ad partes inferiores externasque, sanguinis impetum, ni fallor, pediluvia insuper derivant.

Hanc vim pediluviorum, Arabes olim compertam habuerunt, qui, causâ hujus finis compescendae, vaporibus aquae calidae, utebantur. Russorum gens, ex patrio more, cellas caldarias, qualibet saltem septimana semel ingreditur, in quibus corpus denudatum, vaporibus calidissimis, lapides candentes aqua conspergendo excitatis, per horam saepiùs exponunt, hocque modo habitum cutaneum, emolliunt, porosque aperiunt ³⁸. Pustulas in corporibus balneo relaxatis, benignissimè eminere se vidisse, DE HAEN nos certiores facit.

GRADUS

³⁷ HUXAM, p. 137.

³⁸ TOOKE'S View of Russian Empire, vol. 1.

GRADUS SECUNDUS.

Gradu hoc morbi currente, medici periti est, et eruptioni favere, et a quacunq̄ue causa tardiùs impeditur, suppetias ferre, necnon praecavere, ne in facie eruptio nimia fiat. His indicationibus, pediluvia, cutem emolliendo, relaxando, impetumque sanguinis a capite avertendo, optimè congruunt. Cum ob regimen calidius intempestivè adhibitum, vel ob vim febris, nimiamque plethoram, papulae pro votis, non eminent, eruptio regimine frigido, sanguinisque detractone adjuvanda, necnon promovenda est. Veruntamen, cum ob prostrationem virium, vel ante morbum contractum, vel ex vena minùs opportunè pertusa, ortam, eruptio retardetur, eam medicamentis cardiacis, me judice, promovere licet.

GRADUS TERTIUS.

In gradu variolae suppurationis, multa symptomata graviora, necnon anomalia, saepiùs adsunt; hinc variae, in variis indicationes, erunt; hincque rationem medendi, in uno quoque

que morbi genere exponere, pensum haud parum arduum foret. Itaque ob limites hujusce tentaminis jamjam nimium ampliatis, de indicationibus perpetuis, pauca disserere sufficiat; nique fallor, illae duae sunt, scilicet,

1. *Pustularum suppuratio sustinenda, necnon promovenda est.* Cum partes tument rubentque, ac sine ullis symptomatibus molestis ritè suppurare incipiunt, hunc tenorem morbi optabilem conservare; necnon potu diluente; aëre frigido, aut minimè temperato, puro, saepiusque renovato, qui hoc morbi stadio, propter effluvia putrida ex pustulis emissa, aequè ac in prioribus necessaria est, adjuvare medicum solum oportet. Attamen hic quoque cavendum est, ne ex frigore nimio, imprudentèrque admissio, aeger quid detrimenti, caperet. Est medici quoque omnia evitare, quae vel febrem suppuratoriam augere, vel pustularum suppurationem impedire, possint.

Quum igitur, eruptione facta, vis vitae languet, imparque ad suppurationem promovendam, videtur; quum etiam, papularum interstitia

stitia nec tument, nec rubent; quum pustulae ne eleventur quidem, vis vitae medicamentis cardiacis, utique vino, erigenda, instauranda, excitandaque est. Quum suppuratio jam incepta, dein malè procedit, pustulaeque haud pus laudabile, at aquosum continentes, depressae, flaccidae, margineque rubro destitutae, evadunt, medicamentis etiam iisdem, vires prostratae reficiendae sunt. Rebus, hoc stadio morbi, sese ita habentibus, medici peritissimi Corticem Peruvianum commodè praescripserunt ³⁹.

In variola cruenta, se acidum vitriolicum, corticemque cinchonae exitu felice adhibuisse, MEADIUS nos certiores facit, spemque curae omnem his inesse, affirmat.

Periculo, e maculis purpureis, ex regimine calidiore saepius orientibus, aëre frigido, stragulis levioribus, medicamentisque diluentibus, ex sententia SYDENHAMI obviàm ire oportet. Pustulis cum maculis purpureis mistis, vique vitae languente, cardiaca vinosa cum acido vitriolico,

³⁹ HUX. p. 153. Ed. Med. Essays, vol. v. p. 68. DE HAEN Rat. Medend. t. 1. p. 99.

trilico, MEADIVS laudat; quod ad efficaciam hujusce remedii quidem pertinet, HUXAMVS, MONROIVSQUE pater, in MEADII sententiam, pedibus discesserunt ^{3º}. Cortex in adultis per os, adhibeatur; ast infantibus per anum, forma enematum praecipuè injiciatur. Veruntamen ut aeger dyspnaea laborans a cortice abstineret, HUXAMVS saepius monuit ^{4º}; namque adhibitione corticis dyspnaeam auctam esse, eoque modo, patientem periculum suffocationis adire posse, experientia satis constat. Eruptione facta, si febris vehementer urgeat, superveniente etiam delirio, sanguinis detractio, vel venam in brachio pertundendo, vel hirudines applicando, his symptomatis gravioribus obviam eundum est. Vim pediluviorum ad delirium refruendum CL. WHYTT summis laudibus ad coelum effert, multaque exempla effectus pediluviorum in febribus delirio comitatis praestantissimi, adducit ^{4¹}.

II. *Symptomata, quae conditionem aegrotantis magis aerumnosam periculosamque, reddant, compescenda,*

^{3º} Hux. p. 152. Ed. Med. Essays, vol. v. p. 87.

^{4º} Hux. p. 153. ^{4¹} Nerv. Diford. p. 445.—6.

pescenda, corrigenda, aut tollenda sunt. Ad dolorem pustularum mitigandum, febremque suppuratoriam compescendam, opium maximè laudatur, utique quum papulae numerosas sunt, quumque corpora juniora infestant, quae hunc dolorem molestissimè ferunt. Opium vesperi, quantitate parva, adhibeatur; dein vero pro tranquillitate aegri, dosis augeatur, necnon repetatur. Opium dolorem optime lenire, motumque sanguinis celerem reprimere, usu medicorum peritiorum, satis constat⁴²; attamen observandum est, quosdam ejus effectus, aegrique conditionem, id interdum contraindicare, saltemve postulare, ut cautè adhibeatur. Opium salivam viscidiorum reddere, ejusque secretionem impedire, experientia nos certiores, facit; hinc sputo praecipuè sub fine hujusce stadii, suae spontis viscidiori devenienti, resistit, hocque modo, metum suffocationis a sputi visciditate ortum, auget. Succus papaveris etiam, respirationem opprimit, ideoque HUXAM-

I 2 US

⁴² SYDENHAM. BOERHAAVE. HOFFMAN. WHYTT. ETMULLER. ALSTON.

US et MEADIIUS, spirandi difficultate, usum ejus intermittere monuerunt⁴³.

Ad tumorem faucium minuendam, sputique visciditatem corrigendam, externè cataplasmata, internè gargarismata, abstergentiaque adhibenda sunt. Constipationi alvi ab opio ortae, enemate emolliente, quotidie, alternisve diebus injecto, obviam imus.

GRADUS QUARTUS.

Inter hunc morbi gradum, munus medici, indicationibus sequentibus, ut fert mea opinio, absolvitur.

I. *Exsiccatio promovenda, metastasisque materiae variolosae, ad partes internas praecavenda est.* Causâ hujusce finis assequendae, pustularum incisionem, purisque in illis contenti, cum spongiis lacte calido madefactis, abstersionem De HAEN laudabat. In specie variolae lymphatica, vel pustulis per plurimos confluentibus, vesiculamque latam formantibus, HUXAM-

US

⁴³ HUX. p. 149. MEAD de Var. cap. iii.

us in sententiam De HAEN, ivit⁴⁴. Alii vero medici, hanc indicationem, quasi molestam longiusculamque, minùs probant. Fomentationes cataplasmataque extremitatibus, ante vultùs detumescentiam, alii imponere suaserunt⁴⁵. Ut potestas remedii adhibendi, quod magis arrideat, quod conditioni aegri convenientissimum, cuique medico sit, me iudice, oportet.

2. *Reliquiae veneni variolosi, quae forte remanserint, expellendae sunt.* Exsiccatione perfecta, alvus tertio quoque die, quater quinqueve, leniter movenda sit: lenia diuretica huc egregiè, ni fallor, faciunt.

3. *Symptomata graviora mitiganda sunt.* Symptoma omnis plerumque infaustissimi, in hoc morbi stadio, est febris maligna, quae remediis potentissimis tempestivè adhibitis, morbi indole propria prius accuratè indagata, vique symptomatum comitantium probè pensitata, purgationibus alvum lenitè subducentibus, cinchona, vino,

⁴⁴ HUXAM, p. 149.

⁴⁵ BAGLIVIVS de Variol. HUXAM, p. 155.

vino, opio, cardiacis, acidis, aliisque antisepticis, curanda est.

Haec igitur sunt, quae de variola dicenda habui, multa immo perplurima, disputatione digna expendenda superesse, facile agnosco, de his attamen, nec hujusce dissertationis limites, jamjam ultra terminum longè extensi, nec ingenii vires, in me revera perexiguae, fusiùs disserere permittunt. Hunc autem conatum, quantumcunque indigestum, quem non caeoes scribendi, sed statuta nostrae Academiae solennia, sanctaque extorserunt, ut aequibonique praeceptores consulant, precor : meque solito suo favore prosequi non dedignentur.

Tentamine, quod legibus nostrae Academiae jure celeberrimae, ne invite quidem ; sed qua par est diffidentia, obtemperans, suscepi, hoc modo nunc absoluto, nihil restat, nisi quod omnibus meis praeceptoribus ; utique, JACOBO GREGORY, viro magni nominis jure exque confesso, item THOMAE CAROLO HOPE, chemico peritissimo, qui unus et alter mihi studenti, ille medicinae, hic chemiae publicè praeceptoris,